

13)

CREM,,

AS PARTES DISTRIBUTA.

avit quam bene, quam pulchre, quam  
[(suggere!...)]

Sciò quid noster Ambrosius diceret,  
Sua si aetate comprehendisset lit-  
[teras.

Enim qui studiis pollut et ingenio  
Non decuriones simplices sunt mi-  
[litum,

Duces supremi.... Noster sic Am-  
[brosius

renascens militum duxerit copias.  
Cum nunc ad ianuam... sit bonus

[ianitor,  
epellat mortem hinc et omne no-

[xium,  
queat quod auspicor tenere certius.

leum libenter accipe hoc munu-  
[sculum....

ector, honoris illico ad fastidium  
uod est in votis obtinebis optimè.  
et vos valete, iuvenes, quos diligo,  
ane te fortes in divina gratia!

unt sic ipsa vincula levissima;  
libertatem ducet vos quantocius

deus, quod postulo defixus precibus.

estote vos magistris subditi,  
istis ut mihi istoc brevi tempore....

in hoc sancto firmet vos propo-

[sito,  
i quam facio fidens adprecatio!

niam sunt omnes functi suo mu-  
[nere....

et de nobis Pater et victoriā,  
os meus stat et crescat....

Plausum date.



FINIS.

um offert Ambrosio.

HUS Dr. FORNARI, Sponsor.

- TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.

# ALMA ROMA



# NUMMARIA MENSA ROMANA

(BANCO DI ROMA)

SOCIETAS ANONYMA EX SOLUTA SUMMA LIBELL. 100.000.000

Sedes caput et suprema gubernatio Romae in propriis aedibus  
Corso Umberto I, N. 307 (Piazza S. Marcello)

**Sedes aliae tum in Italia, tum apud exterias civitates:**

Alba, Albano Laziale, ALESSANDRIA (in Aegypto), Aquila, Arezzo, Arezzano Bagni di Montecatini, BARCELLONA (in Hispania), Bari, Bengasi (in Cyrenaica), BRESCIA, CAIRO (in Aegypto), Canile, Carrù, Castelnuovo di Gagnana, Centallo, Città di Castello, Cortona, COSTANTINOPOLI, Fabriano, Fermo, FIRENZE, Foligno, Fossano, Frascati, Frosinone, GENOVA, Grosseto, Lione, Lucca, MALTA, MILANO, Mondovi, Monsampietraneli, Montblanch (in Hispania), NAPOLI, Orbetello, Orvieto, PARIGI, Pinerolo, Porto Said, Porto S. Giorgio, Siena, Taragona (in Hispania), Tivoli, TORINO, Torre Annunziata, TRIPOLI (in Africa), Velletri, Viareggio, Viterbo.

**NUMMARIAE MENSAE ROMANAe RATIONES ET NEGOTIA.**

NUMMARIA MENSA ROMANA pecuniam depositi nomine accipit: *a*) iuxta quotidianas computationes; easque liberas, fenus rependens ad 3%, data facultate quotidie exigendi usque ad lib. 10.000; ex denunciato duorum dierum, lib. 25.000; dierum quatuor, lib. 50.000; pro maiore summa cum Mensae moderatore conveniendum est; *b*) computationibus pariter quotidianis, at vinculo adstrictis, lucro anno 4%, si vinculum erit mensium sex; 4 1/2%, si mensium duodecim; *c*) parsimoniae fovenda sub specie, anno fructu 3.60%, cum facultate quotidie defendi usque ad lib. 1000, et exigendi ad nutum quotidie lib. 300. De maiore vero summa mandatum dimittitur ad dies tres usque ad lib. 1000; ad dies septem usque ad lib. 5000; ad dies undecim usque ad lib. 10.000; ad dies quindecim, ultra.

Praeterea NUMMARIA MENSA ROMANA: *a*) perscriptiones compensat duarum personarum certa fide pollentium subscriptione munitas, post menses tres solvendas; idque pro omnibus locis ubi argenteria res publice agatur; *b*) mutationum agrestium ad formam, iuxta italicam legem d. 27 Ianuarii 1877 latam, tum Romae tum in Romana provincia requirentibus subvenit; *c*) in antecessum solvit atque mercatorio more pecuniam reportat sub praesidio fundorum publicorum, vel pecuniae nominum tum publicae rei, tum industriae privatae; *d*) litteras emittit ex credito pro locis ubi commercia tum Italiae tum exterarum gentium maxima aguntur; *e*) exterios numeros negotiatur eorumque collybum exercet; *f*) fiduciarias res in custodiam accipit, pro iisque adservardis capsas conducticias ex chalybe etiam suppeditat; *g*) res administrat tum consociationum, tum privatorum nomine.

In universum, omnia pertractat quae propria Mensae Nummariae sunt.

## Pro "ALMAE ROMAE,, Sociis

apud Commentarii Administratorem opuscula latine scripta venum dantur,  
imminuto pretio prouti sequitur:

JOSEPHI FORNARI Fridianus et Francisculi prandium, Milesiae fabulae scenis accommodatae apud ephebea facile agendis. – Singulæ lib. 1; ambae lib. 1,50.

HERMINII IACOBELLI In campo latinitatis novi flores. – Si tegumento solut. lib. 1,50; si xylinâ structura aureoque titulo, lib. 2,25.

I. B. FRANCESIA Saturio, Euplius, Ad Romam, Actiones dramaticæ. – Singulæ lib. 1.

I. ANTONELLI-COSTAGGINI Arrhae Gorgoniae, Milesia fabula. – Lib. 1.

PETRI ANGELINI De poëtis et numeris latinis. – Lib. 1.

A

A  
Premium  
marci  
FORN

De v

Iam p  
cos Au  
multiplic  
sermoni  
tati propTaga  
sit, maxi  
fessus, d  
in mun  
industri  
atque inn  
Ad eius  
boles fre  
ingenios  
rientia, v  
suos ver  
publicar  
nistration  
siliis urb  
diciis po  
maiora n  
diolanum  
erat civiVerun  
vante pot

1 Cfr. fa

## ALMA ROMA

LATINITATIS PRAECONIUM SINGULIS MENSIBUS EDITUM

Premium annuae subnotationis (fasc. 12) est in Italia libell. 9; ubique extra Italiam libell. 12 (doll. 2,40;  
march. 10; rubl. 4½; sh. 10; coron. 12) ante solvendum rectoque tramite mittendum ad IOSEPHUM  
FORNARI doctorem, Romam, Via del Governo Vecchio, 96. ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐ ☐

De veteri Christianorum lingua<sup>1</sup>

Aurelius Augustinus.

Iam primum omnium constat inter pau-  
cos Aurelium Augustinum floruisse; qui  
multiplicis doctrinae varietate atque latini  
sermonis elegantia nomen suum posteri-  
tati propagavit.

Tagastae natus, vixdum e pueris excessit,  
maxima cum laude latinas litteras profes-  
sus, dicendi artem publice docuit. Quo in munere obeundo, se ita navum atque  
industrium egit, ut clarum nomen, opes,  
atque innumera ornamenta consequeretur.  
Ad eius enim scholam omnis africana so-  
boles frequens adibat. Vir doctus in primis,  
ingeniosus, et diuturna iam usus experientia,  
vel in primo aetatis flore, discipulos  
suos vere civiles formare adgreditur et  
publicarum privatuarumque rerum admini-  
strationi accommodatos, qui regere consiliis urbes, fundare legibus, emendare iudi-  
cii possint. Quum hominum laude ad  
maiora natus videretur, relicta patria, Me-  
diolanum petiit, quae altera illo tempore  
erat civitas imperii caput.

Verum ibi, numine divino afflatus, adiu-  
vante potissimum mira Ambrosii eloquen-

tia, ad christianam sapientiam tandem se  
convertit, ac, muneribus publicis postha-  
bitis, se totum, omnibus admirantibus, ad  
caelestia conquirenda contulit. Quo facto,  
brevi sacerdotio auctus, et uno populi eru-  
diendi studio exardescens, novam sibi  
admodum palaestram aperuit, et operam  
suam rite pauperibus praestiturus, ingenii  
dignitatem virtute cumulavit.

Multa interea sapientissime scripsit, et  
multo maiora manu consilioque complevit.  
Ei prae ceteris faciunt Tullii verba, nihil  
olere ex Academia, nihil ex Lyceo, nihil  
ex ipsismet puerilibus disciplinis. Novus  
et suus in omnibus adparet. In eius enim  
elucubrationibus callidissime Arpinatis in-  
stitutiones de arte scribendi exemplis gra-  
vioribus confirmantur e sacris litteris  
desumptis. Ars nulla est in Augustini con-  
cionibus ad populum, quae, non pedem sup-  
plendo, aut inani plausu, sed gemitu  
lacrimisque obortis excipiebantur. Recte  
admonent, nullam referunt veterum illam  
contentionem se ipsos inculcantum, artem  
nullam pulcri magis sensum quam veri-  
cientem. Et quo studio verissimas Moysis  
historias est prosecutus, ut latine scribebat!

Lubet hīc penitissima eius aedium in-  
gredi, quemadmodum ex eius epistolis pas-  
sim argui potest. Bellissime in conclavi  
eum deprehendimus e tribunali admissis

<sup>1</sup> Cfr. fasc. sup.

expiadis redeuntem. Tabellarius ei litteras afferit a Deo gratias diacono quodam Carthaginiensi, qui summis precibus orat, suppetias sibi ferat laboranti; alii alia postulant. Si delibare quid aveas ex libello amico tamquam in procinctu scripto, nobillem locum eligam, qui rem nostram acutangit. « Nolim te - ait demisso animo eloquentissimus antistes - moveri ex eo quod saepe tibi abiectum sermonem fastidiosumque habere visus es... Nam et mihi prope semper sermo meus displicet: melioris enim avidus sum, quo saepe fruor interius, antequam eum explicare verbis sonantibus coepero. Quod ubi minus quam mihi notus est evaluero, contristor, linguam meam cordi meo non potuisse sufficere. Totum enim quod intelligo volo ut qui me audit intelligat; et sentio me non ita loqui ut hoc efficiam: maxime quia ille intellectus quasi rapida coruscatione perfundit animum; illa autem locutio tarda et longa est, longeque dissimilis; et dum ista volvitur, iam se ille in secreta sua condidit: tamen, quia vestigia quaedam miro modo impressit memoriae, perdurant illa cum syllabarum morulis, atque ex iisdem sonantia signa peragimus, quae lingua dicitur vel latina, vel greca, vel hebraea, vel alia quaelibet; sive cogitentur haec signa, sive etiam voce proferantur, quum illa vestigia nec latina, nec graeca vel hebraea, nec cuiusque alterius gentis sint propria, sed ita efficiantur in animo, ut vultus in corpore... Quapropter coniiciendum est quantum distet sonus oris nostri ab illo ictu intelligentiae, quando ne ipsi quidem impressioni memoriae similis est. Nos autem plerumque in auditoris utilitatem vehementer ardentes ita loqui volumus, quemadmodum tunc intelligimus, quum per ipsam intentionem loqui non possumus: et quia non succedit angimur, et velut frustra operam insumamus, taedio marcescimus; atque ex ipso taedio languidior fit idem sermo et hebetior quam

erat, unde perduxit ad taedium». <sup>1</sup> Quae vobis describens optimi Aligheriani illius opificis recordor, quem tandem paeniteat, quum materiam sit expertus neutiquam mentis viribus respondentem.<sup>2</sup>

Opera praesertim Augustini, latinus christianorum sermo immortalis habetur. Iamvero Graeci Hebraeique eloquii incursu adactus Quiritium sermo in eam aequabilem pollentemque principis fluvii vim excrevit, idque maiestatis praesetulit, ut esset ostentui, se non iam populis ferro domitis velle imperitare, sed genus humanae charitate nullis finibus terminata amplexari. Incredibile memoratu est, quando gentes nationesque per varias temporum vices turbate agi, sursum deorsum versari legimus, et quum linguis pariter ingenuisque artibus in alias atque alias deinceps formas, ut Christianorum res, exiguis profecta initii, in maximum omnium nomen coaluerit, atque licet decumanis perpetuum fluctibus iactata, tot naufragia, tot funera ab hinc decem novemque saecula spectet, tabulam portantes ad salutis portum ultro recipiens. Quodque opinione maius est, eadem sere nos in templis et pompis submisso murmure precamur, eadem assa voce praeuntibus sacerdotibus repetimus, vel organo musico canimus, quae Maximus Taurinenses ad Duriam, Ambrosius Mediolanenses, Gregorius Italos Gallosque condocerent, ne litterula dixerim immutata. Ecquis autem christianos futurorum hominum nepotes, quidquid bellorum, eluvionum, et exustionum accidat in terris, quae certo tempore fieri necesse est, unquam suspicetur haec sacra omnia, ipsamque hanc linguam minus esse usurpaturos?

Haud sum equidem nescius adesse qui « barbaras » voces adpellant, quas, vivo adhuc romano sermone, christiani scrip-

<sup>1</sup> De catechiz. rud., lib. I, 2.

<sup>2</sup> Par. I, 127.

tores procuderent, praesentique nota signarent. Christianas fateantur sane oportet; si autem Christianas, quid minus latinas? Hosce falso eiulantes Augustinum audire iubebo, qui recte definivit: « vocabula christiana religionis latina facta esse ex quo latini facti fuerint Christiani ».

Inter pulcherrima Augustini opera ponere non dubitaverim, quae de *Civitate Dei* scripsit et de *Confessionibus* vitae suae ingenuo narrat.

(Ad proximum numerum).

I. B. FRANCESIA.

## De duabus filiis olei in christiana gentium societate

Gentium equidem societas et foedera, in *Iliade* et in *Genesi*, a generis hominum constitutione fuere. Sicut enim singulos inter homines, ita inter eorum coetus: familias videlicet, linguas, gentes, et nationes, legitima quaedam est communitas ab origine nata. Quam ob rem frequens, cum multis populis, de peregrinationibus, hospitiis, et foederibus Patriarcharum existat memoria; et consortium telluris, aquae, spiritus, igniumque caelestium quum sit universis in terrae marisque contubernio habitantibus; conditum a primordiis est generis humani, saepius dumtaxat violatum, ius gentium: si quidem magnam, in nationum societate, de vindicando iure secessionem, susceptum videmus bellum Troianum; plagamque in Achivos, ob ius redimendae filiae sacerdoti cuidam ab imperatore rege Agamemnonte negatum, immissam a Phoebo.

Veteri autem illi gentium societati angularis, Iesus Christus, - per quem omnes unum sint: populus videlicet ipsius, - defuit lapis. Qui vero lapis Nabuchodonosor iam appetet in somnio. Huic enim homini

insipienti et furioso quem Daniel dixisset: « Tu rex regum es: et Deus caeli, regnum, et fortitudinem, et imperium, et gloriam dedit tibi: et omnia in quibus habitant filii hominum, et bestiae agri: volucres quoque caeli dedit in manu tua, et sub ditione tua universa constituit », strictius quam latiore veritate propheta: « Tu es ergo caput aureum ». <sup>1</sup>

Nam praeter ipsum tyrannum intelligunt omnes: regnum Nabuchodonosor non aetatem fuisse auream. Verum perducit nos propheta ad lapidem, qui comminuet statuam et consumet universa regna divisa: « Lapis autem qui percusserat statuam, factus est mons magnus, et implevit universam terram ».

Pergens enim exponit regi: « Et post te consurget regnum aliud minus te argenteum, quod imperabit universae terrae.

« Et regnum quartum erit velut ferrum. Quo modo ferrum comminuit et domat omnia, sic comminuet et conteret omnia haec.

« Porro quia vidisti pedum et digitorum partem testae figuli, et partem ferream: regnum divisum erit, quod tamen de plantario ferri oriatur, secundum quod vidisti ferrum mixtum testae ex luto.

« Et digitos pedum ex parte ferreos, et ex parte fictiles: ex parte regnum erit solidum, et ex parte contritum.

« Quod autem vidisti ferrum mixtum testae ex luto, commiscebuntur quidem humano sanguine, sed non adhaerebunt sibi, sicuti ferrum misceri non potest testae ».

Itaque regnum, vel nationum societas ac foedus quocumque est constitutum viribus, et gentium connubiis quoque mixtum, sed non caritate ac dilectione proximi iniunctum; divisum erit, nec stabit.

Qua de causa Daniel sic est reliqua persecutus: « In diebus autem regnum

<sup>1</sup> DAN., II, 37, 38.

illorum, suscitabit Deus caeli regnum, quod in aeternum non dissipabitur, et regnum eius alteri populo non tradetur: comminuet autem, et consumet universa regna haec: et ipsum stabit in aeternum».

Factum est sane, hisce viginti saeculis, ut regna multa consumerentur, non tamen ut populus christianus alteri populo regnum Christi traderet. Nunc etiam arte daedala et alis unum est ovile: igneis viribus navigatus, percursatus, superque volatus orbis; Pastor unus: nuntiatus prelo et aethere Christus. Adstant nunc, quae mandatum Dei universae gentes momento temporis audiant, aetherea canente quasi tuba. Omnes unum sunt, qui volunt, quoniam prope annos mille nongentos, et diruto manu facto Templo, in terra regnat Jesus Christus.

Venit quod scriptum est, Psalmo secundo: «Dabo tibi haereditatem tuam, et possessionem tuam terminos terrae.

«Reges eos in virga ferrea, et tamquam vas figuli confringes eos».

Sed Dominus ipse per ministros suos regnat, ut in capite secundo *Apocalypsis* manifestum est: «Et qui vicerit, et custodierit usque in finem opera mea, dabo illi potestatem super gentes, et reget eas in virga ferrea, et tanquam vas figuli confringentur, sicut et ego accepi a Patre meo».

Etenim: «Non in exercitu, nec in robo, sed in spiritu meo», ait Dominus ad Zorobabel per Zachariam prophetam, c. IV, v. 6.

Spiritus autem per duos testes operatur, de quibus *Apocalypsis*, capite XI: «Et dabo duobus testibus meis, et propheta- bunt diebus mille ducentis sexaginta, amicti saccis.

«Hi sunt duae olivae et duo candelabra in conspectu Domini terrae stantes».

De iisdem apud Zachariam, cap. IV, vers. 2: «Isti sunt duo filii olei, qui assi- stunt Dominatori universae terrae».

Propterea duo filii olei et «duae spicae olivarum, quae sunt iuxta duo rostra aurea, in quibus sunt suffusoria ex auro» dicuntur, quia sicut oleum in lucerna flam- mam, ita spiritus Domini eorum virtutem alit, et quod uterque est unctus,<sup>1</sup> qui graece dicitur christus, quum princeps alter sit sacerdotum, et alter regum.

Regis enim Saulis unctio hisce verbis narratur, libro primo *Regum*, capite de- cimo: «Tulit autem Samuel lenticulam olei, et effudit super caput eius, et deosculatus est eum, et ait: «Ecce unxit te Dominus super haereditatem suam in principem, et liberabis populum suum de manibus inimicorum eius, qui in circuitu eius sunt. Et hoc tibi signum, quia unxit te Deus in principem».

Propter hanc ergo unctionem David Saulem vocat christum Domini:

«Quare non timuisti mittere manum tuam ut occideres christum Domini»,<sup>2</sup> ait qui postea ipse rex unctus est:

«Venerunt quoque et seniores Israel ad regem in Hebron, et percussit cum eis rex David foedus in Hebron coram Do- mino: unixeruntque David in regem super Israel».<sup>3</sup>

Deus autem unxit spirituali oleo, nec Israelitam Persarum regem, secundum quod capite XLV Isaiae legitur: «Haec dicit Dominus christo meo Cyro, cuius apprehendi dexteram, ut subiiciam ante faciem eius gentes, et dorsa regum ver- tam, et aperiam coram eo ianuas, et portae non claudentur.

«Ego ante te ibo: et gloriosa terrae humiliabo: portas aereas conteram, et vectes ferreos confringam.

«Et dabo tibi thesauros absconditos, et arcana secretorum: ut scias quia ego

<sup>1</sup> «Sureuli vero olivarum, spiritualem unctionem advenisse quodammodo clamant», admonet nos oratio quaedam die dominica Palmarum.

<sup>2</sup> Reg. I, 14.

<sup>3</sup> Reg. V, 3.

Dominus, qui voco nomen tuum, Deus Israel».

Duorum enim testium maxima est, quae dicitur in *Apocalipsi*, potestas:

«Hi habent potestatem claudendi caelum, ne pluat diebus prophetiae ipsorum: et potestatem habent super aquas conver- tendi eas in sanguinem, et percutere ter- ram omni plaga quotiescumque volue- rint».

Nam claves habet caelestis doctrinae princeps sacerdotum, pontifex maximus, ut pluat iustum, et ne mittantur margaritae ante porcos. Et ius hahet belli rex imperator, gentesque convertendi in san- guinem, qui liberat populum Dei iustum de manibus inimicorum eius.

Sed transit omnis gloria mundi, et Do- mini mortales sunt testes:

«Et cum finierint testimonium suum, bestia quae ascendit de abysso, faciet ad- versus eos bellum, et vincet illos, et oc- cident eos.

«Et corpora eorum iacebunt in plateis civitatis magnae, quae vocatur spiritua- liter Sodoma, et Aegyptus, ubi et Dominus eorum crucifixus est.

«Et videbunt de tribibus, et populis, et linguis, et gentibus, corpora eorum per tres dies et dimidium: et corpora eorum non sinent poni in monumentis.

«Et inhabitantes terram gaudebunt super illos, et iucundabuntur: et munera mittent invicem, quoniam hi duo prophetae cruciaverunt eos, qui habitabant super terram».

Merito quidem eos legitimae potestates cruciant, qui mammonae malunt quam Deo servire, crucem suam non tollunt, nec sequuntur Dominum, sed super terram gaudent habitare, et in caeli regnum per angustam portam minime nituntur intrare. Brevia tamen sunt apud servos libidinum saturnalia. Mox divinae voluntatis duo testes resurgunt. Terrestrium rerum motu multi occiduntur, reliqui vero resipiscunt:

«Et post dies tres et dimidium spiritus vitae a Deo intravit in eos. Et steterunt super pedes suos, et timor magnus cecidit super eos qui viderunt eos.

«Et audierunt vocem magnam de caelo dicentem eis: «Ascendite huc,,. Et ascenderunt in caelum in nube: et vide- runt illos inimici eorum.

«Et in illa hora factus est terrae motus magnus, et decima pars civitatis cecidit: et occisa sunt in terrae motu nomina ho- minum septem millia: et reliqui in timo- rem sunt missi, et dederunt gloriam Deo caeli».

Ergo qui, temporibus confusione magna, summam rerum in Christo student instaurare, duorum testium exspectant resurrectionem, qui sunt a dextris et a sinistris eius, et qui eius oleum paracle- tum habent in lucerna sua: quorum alter doctrinam religionem, pacem alter militia; iustitiam ambo bonis artibus tutantur. Petri consilio et Cyri viribus firmari solet in Christo nationum societas.

De quo autem rege imperatore his verbis M. T. Cicero ad Quintum fratrem scripsit: «Cyrus ille a Xenophonte non ad historiae fidem scriptus, sed ad effigiem iusti imperii; cuius summa gravitas ab illo philosopho cum singulare comitate coniungitur: quos quidem libros non sine causa noster ille Africanus de manibus ponere non solebat: nullum est enim praetermissum in iis officium diligentis et moderati imperii».

Hac autem amborum sacerdotis et regis concordia principum uni Pastori bono serventium, fit illa tandem coniunctio vi- delicet sapientiae ac potestatis, qua de- nique beatas fore res publicas cum Platone docta antiquitas universa putavit.

Tornoduri in Gallia.

JACOBUS TASSET.

Clam coarguas propinquum; propalam laudaveris.

SOLON.

## PAX NATALICIA

*Carmen FRANCISCI SOFIA ALESSIO Radicenensis in certamine Poëtico Hoeufftiano  
ann. MCMXVIII magna laude ornatum.*

Ut procul albebat pia villa cacumine summo!  
Obruta virgineis nivibus iuga cuncta micabant,  
Iam vergente die: fluitabant pondere rami.  
Stillabant gelidi rores de frondibus, atque  
Versicolore simul radiabant gramina luce.  
Iamque domum iuvenis miles tum forte redibat:  
Prospexitque nemus patrium dulcesque pena-

[tes.

Longinqui latitant subter caligine montes.  
Vesper adest, et aves plausu cantuque trium-

[phant,

Atque vocant matres tremulis balatibus agni:  
Pastores leni carmen modulantur avena.  
Interea miles clivosi tramitis herbas  
Proterit: aere sonant blando vigilantia templa,  
Et iam nascentis celebrant solemnia Christi.  
Iam labor et caedes belli saeisque dolores  
Exciderant animo: prospectu lumina pascit,  
Ac fruitur cantu volucrum rerumque susurro.  
Nunc caram recolit sociam natosque tenellos;  
Sic properans canit ingenti percussus amore:

Me parvam revocat nunc Amor in domum:  
Vos monstrate mihi, sidera, semitam.  
Coniux nataque Stella,  
Nostrae deliciae, manent.

Iam tectum repeto dulceque praedium;  
Ridet luminibus iam rosa blandula:  
Vult nunc oscula nata  
Patri mollia figere.

At fudi lacrimas finibus ultimis,  
Et desiderium me tenuit domūs:  
Stellam lassus amavi  
Arvis usque nivalibus.

Nostras sparge vias, filia, lumine:  
Te fovi, patrio, limine parvulam:  
Nunc te, cara, revisam:  
Pagus mox requiem dabit.

Carmine iam dulci resonabat vallis amoena,  
Voxque domum leni plangebat flamme pulsa.

Agnoscit modulos coniux; in limine gestit:  
At subridentes iam currunt undique nati.  
Laetus adest genitor, subit, amplectatur ad

[unum

Omnes: at suboli dedit oscula blanda tenellae.  
Iam celebrare parant alacres nova gaudia

[cuncti:

Et rapidis truncos dant et ramalia flammis.  
Et iam parva domus laetis micat ignibus, atque  
Lumine sub claro Christi Praesepe renidet.  
Collucent variae species pictaeque figurae.  
Iam pueri coēunt, mirantur parvula signa.  
Tunc unus: « Simulacra, pater, nunc aspice,

[sodes,

Colliculos virides et densum frondibus hortum.  
Ut iacet in rigido divinus stramine Pupus!  
Ut formosus adest! Pia Mater diligit illum,  
Ac maeret senior Pater ad cunabula sancta.  
Corniger hinc stat bos, auritus asellulus illinc.  
Hic nemus arboribus scatet, et colit arva co-

[lonus,

Pauxillasque boves plostello adiungit arator.  
Lanigeros Pastor custodit ovilibus agnos.  
Sunt humilesque casae stipulisque mapalia

[texta;

Atque securiculae pendent tenuesque ligones.  
Hic est fonticulus, sunt stagna virentia musco.  
Dumosaque simul pascuntur rupe capellae.  
At procul est mare; stat parvus piscator ad

[undam:

Litore naviculam deducere nauta videtur.  
Ecce Magi querunt, stella radiante, caver-

[nam].

Dixerat: at properant vigiles colludere pupi,  
Et castella struunt nucibus de more quaternis,  
Telorumque ruunt iactu, laetique cachinnant.  
Sic teneros recreant animos nugaeque iocique.  
Ecce domo placida iam dulcis coena paratur;  
Hic mater tribuit modicis, studiosa catillis  
Pultem: mox inulas et amaris intiba fibris.  
Castaneas ponit molles et olentia poma.  
Buccellas dat deinde pater munuscula natis.  
Laetitiaque fremunt omnes: simul aëre ningit,  
Albescuntque simul brumali tempore tecta:

Aurea Pax regnat per amica silentia vici.  
Exsurgit tum Stella, patris mellitus ocellus:  
« Fabellam nobis, inquit, matercula, narra:  
Quid cecinit, veniente Deo, chorus aethere

[lapsus?]

Interea truncus, flammis crepitantibus, ardet,  
Ac focus igne nitet: volitat per cuncta favilla.  
Conticuere omnes; sic mater amabilis infit:

« Adstabant vigiles pastores montibus olim.  
Ignes lucebant, nocte silente foco.

Iamque quiescebant pecudes ad flumina nota,  
Fulgebatque pio luna serena polo.

Caelum suspiciens pastor cantabat ad auras,  
Et capiebat amans gaudia blanda sinu.  
Ecce polum mulcent dulces modulamine vo-

[ces,

PAX, resonant TERRIS, GLORIA SUMMA

[DEO.

Sidus per tenebras ingens aurescere coepit:  
Subrisit tellus lumine cuncta pio.

Angelus interea pastores evocat omnes,  
Atque docet stabulum, vox ubi dia

[sonat.

Nuntius advolat; vicos urbesque pererrat,  
Ac Romana cito moenia laetus adit.

Urbs fera tum somno vinoque sepulta iacebat,  
Nec famuli monitus audiit aetherei.

Constitut ille quidem deserto culmine montis,  
Pastoremque senem repperit in paleis.  
Pax tecum; gaude, pecoris venerande Magi-

[ster,

Clamat; Pax suavi flamine cuncta fovet.

Tum vero Pastor praesentia Numina sentit.  
Succiduoque genu dulcia verba capit.

Namque senex vitam degebat vertice summo:  
Auras et nubes noverat aetherias.

Solus caeruleas glacies tumulosque nivales  
Lustrabat ducens per nemus omne gre-

[gem.

Ille quidem rigidas hyemes, velut immemor

[aevi,

Contentus parvo semper agebat inops.  
At casto validum robur viridisque senectus,

Et simplex animus candidiorque nive.

De sene narrabat secreto multa popellus:  
At voces raro fuderat ore Pater.

Compellare gregem solitus, faciebat ad auras

Orto sole preces purus et occiduo.

Attamen in nimbis ferialibus ille, locutus,  
Vicit voce feros increpuitque Notos.  
Ventorum fremitus et longa silentia novit,  
Et rerum voces alitumque modos.

Fluctibus immersas et tempestatibus urbes  
Viderat ac fratres caede fera madidos.

Secretumque nemus fruiturus pace petivit,  
Ac pauper coluit culmina celsa libens.

Sic vitam felix ducebat montibus altis,  
Armorum strepitus cum gravis exoritur.

Inter se telis vidit concurrere fratres,  
Atque rubore nives sanguine purpureo

Insolitis rupes tremuerunt motibus altae:  
Horrens rupe senex constituit aëria.

Fluminibus galeas clypeosque et corpora volvi  
Vidit, et effugit delituitque tremens.

Implevit querulis maestos ululatibus agros;  
Amissam pacem vespere flebat inops.

Respicit, atque videt fumantia pascua caede,  
Dum niger in campis defluit usque

[cruor.

Sublatis manibus Dominum veneratur, et orat,

Ut reddat pacis munera terrigenis.

Procubuitque solo niveo sub nocte misellus,  
Excepitque senem terra benigna sinu.

Caedis inassuetos oculos intorsit et haesit;  
Compositus placida pace quievit iners.

At subito nitidae stellae volitare per auras.  
Nam pietate graves ingemuere poli.

Stellae, divinae lacrimae cedidere micantes.

Lucidus in niveos depluit imber agros.

Celsus flore statim tum mors incanuit albo:  
Nunc flos ille iugis Pacifer usque nitet».<sup>1</sup>

Conticuit mulier: iucundo, membra ca-

[lore

Iam fovet ante focum coniux gaudetque  
[quiete.

At subeunt animo caedes et castra cruenta,  
Et fragor ingens et discepta cadavera foede.

Horret, et exsurgit tandem vepallidus ille,  
Ac Praesepe Dei supplex veneratur, et orat:

O Pater Omnipotens, quaeso, miserere malo-

[rum;

Albos iam Pacis regionibus insere flores.

At iam pendebat medio nox humida caelo,

<sup>1</sup> Hic candidus flos, stellae similis, crescit in Alpibus, et germanice edelweiss vocatur.

Cum subito vibrant tremula pia tempula loquela;  
Aera sonant; natumque Deum laudare viden-  
tur.

GLORIA SUMMA, canunt, DOMINO, PAX GENTI-  
[BUS ADSIT.

Blandula divinum recolit iam naenia pupum:

Hac nocte, Iesu parvule,  
Descendis e fulgentibus  
Astris, Amoris Victimam  
Iaces in ipso stramine.

At est volucri nidulus,  
Sunt lustra dirae beluae;  
Tu nudus horres, omnium  
Infans egenus nasceris.

Laetantur omnes Caelites,  
Canunt Puello Gloriam;  
Ac Pacis Almae gaudia  
Terris piisque gentibus.

O fons salutis Pupule,  
Mundi ruinas aspice;  
Iraque mentes incitas  
Tu flecte divo turbine.

Heu! cuncta tellus horruit  
Armis, madescit fletibus:  
Audi gementes parvulos,  
Curisque matres anxias.

At Tu procellas comprime,  
Nubes et atras discute:  
Caelo sereno denique  
Sol luce clara fulgeat.

Et Pax in oris rideat  
Ferens olivae ramulum:  
Delapsa Pax ex aethere  
Gentes amicas mulcet.

At nocturna modis iam dulcibus assonat  
[Echo:]

Connivent pueri, dum suadet naenia somnum;  
In lecto recubant, placidaque quiete fruuntur:  
Scilicet in somnis mirantur, nocte beata,  
Aureolas species per aperta serena micantes.

.....

Neque frangitur adversorum molestia, qui pro-  
sperorum delectatione non capitur.

S. AUGUSTINUS, *De verb. Dom.*, II.

## VETERA ET NOVA

### De automis.

SENIOR ego Tibi, puero adhuc, plurimam  
salutem dico, longissimum aevum au-  
spicatus.

### Dulcissimum caput!

Litterae tuae me varie affecerunt. Tu  
enim a me petis, ut paucis tibi magnum  
rerum argumentum absolvam. Gerrae!  
Quomodo possum breviter atque eleganter  
de *Automis* dicere, uti vis, quum prope  
ipsum vocabulum apud latinos desidetur?  
Attamen ne tu me ingratum dicas  
aut inurbanum, scribere incipiam.

... Non hic te carmine ficto  
atque per ambages nec longa exorsa tenebo!

ut Vergilius scripsit, in secundo libro *Geor-  
gicorum*.

Monui superius, Latinos vel nomen  
ignoravisse de *Automis*.... At falso dixisse  
elata voce profitebor; namque Suetonius  
*automaton* memorat, ad illum significandum  
hominem, qui a se ipso vires resu-  
mens optime se movet. Tu vero, in mentem  
revocas quod scripsit Homerus, quodque  
tuum ad caelum animum erigit. Noveram  
enim; imo saepe saepius, dum recentiores  
nonnulli, inani superbia abrepti, caelum  
terramque movere autumant, mira tem-  
poris inventa iactantes, maioraque in dies  
ob hominum incredibilem foecunditatem  
exspectant, res veterum incognitas in men-  
tem revocare eos iubeo.

Antiqui enim ingenio sibi nova semper  
creabant; et si Vulcanus mirificas deas  
construxit, quae ipsi insigniter inservirent,  
et mirum in modum eas divinitus aptavit,  
ut nemo ad earum excellentiam adsurgere  
posset, haud impedivit quominus et alter,  
eius vestigiis insistens, eadem tentaret. Et  
multa sane audax mortalium ingenium  
est ausum, atque eventus audacibus adnuit  
coepitis.

Et quamquam, rebus in humanis, tecum  
optime dixerim, multa renasci videmus,  
quae iam cedidere inventa, et novum saepe  
dicimus esse quod sumus obliti, hac in re,  
quum sermo sit de *Automis* quos recenti  
vocabulo appellem, multa adhuc sunt vi-  
denda, antequam homo divina praeditus  
mente verum putumque *automa* compo-  
nere sit ausus. Multa enim iam veteres de  
ipsis scripserunt, et tute ipse in medium  
facile refers quod Aulus Gellius in opella  
cui est titulus: *Noctes Atticae* scripsit, ab  
artifice graeco confectam fuisse columbam  
adeo ingeniose, ut ipsa ab se, ac veluti  
suopte ingeni volaret.

Athanasius Kircher Ioannem Muller  
memorat, qui muscam e ferro confecrat,  
sua veluti natura in conclavi circumvo-  
lantem. Idem artifex, ut ipse refert, Maxi-  
miliano imperatori, Norimbergam splen-  
didissime introeunti, aquilam aere con-  
fectam valedicentem confecit.

Nec modo homines hac in re sunt inge-  
nium pericitati, qui disciplinas «positivas»  
quas dicunt, coluerunt; sed et illi qui, ad  
caelestia respicientes, divinam Theologiam  
amore prosecuti, singulari fama percre-  
buerunt. Spectant haec mea verba ad Al-  
bertum illum immortalem, qui nobilitate  
ingenii doctrinaeque laudibus «Magnus»  
cognomento est appellatus. Hic enim horis  
subsecivis, ut illa tunc tempora ferebant,  
animi causa, acerrimis sacris studiis inter-  
missis, mentem ad manualia opera appellebat,  
atque ad eam artis perfectionem  
pervenit, ut hominem composuerit, qui  
alloquens idemque prudens, data opera,  
ostium pulsantibus aperiret. Narrant insuper,  
Sanctum Thomam Aquinatem, alte-  
rum illius saeculi ornamentum eiusdem  
que doctoris summum discipulum, hoc  
instrumentum fregisse, diabolicum admo-  
dum opus reputantem.

Ad haec, Cartesius, ut belluas immor-  
tali animo carentes comprobaret, statuam  
componi decrevit, in puellae cuiusdam

speciem, quam filiolam humaniter appelle-  
litabat. Quadam die, quum navigaret, navis  
ductor eam in altum impulit, quum, nimio  
mentis errore deceptus, eam falso magica  
arte compositam crederet.

Verum haud brevi hisce rerum com-  
mentis finem imponerem, si singula quae-  
que memorare vellem, quae homines,  
saeculis volventibus, prodiderunt. At hi  
omnes, ingenii quadam levitate perducti,  
suis vacuis inventis indulgentes, ut non-  
nulli poëtae, quos optime novimus, qui  
*dant inania verba, dant sine mente so-  
num*, nullam prorsus per ea utilitatem  
hominibus attulerunt. Quam recte Persius  
maerens exclamaret:

*O curas hominum quantum est in rebus inane!*

Hic enim puellam, ceteroquin miro arti-  
ficio, composuit, varie itemque suavissime  
cymbala pulsantem; ille puellam delinean-  
tem, aut etiam pingentem; alii denique  
avem fringillae canariae carduelisque  
modos imitantem. Alii aliaque id genus  
complura, hisce potissimum temporibus,  
ingenii virtute invenerunt. Sed quo hu-  
mani generis quaestu? Sunt enim haec ali-  
quando bellule perfecta, sed, ut versus,  
inopes rerum.

Ars enim, longum atque superbum ho-  
minum studium, haud iustum emolumen-  
tum depromere potest ex hac inventorum  
improbitate, et sedulitas ipsa mentis, et  
vana temporis pecuniaeque iactura, mi-  
nime compensari videtur. Quo facto ad  
maiora utique spectantes recentiores «auto-  
mobilia» hinc inde composuerunt, ut terre-  
nas late regiones maxima celeritate per-  
vaderent; atque «aëroplana», quibus, ad  
caelestia ipsa regna conquirenda, dae-  
dalam artem longe supergressi, nostra  
aetate divino ausu pertentant. Hinc liceat  
facile ominari, ut et in hisce artibus impe-  
rium Itali sine fine, cum ceteris gentibus  
decertantes, sibi aggrediantur. Vale.

## COMMUNIA VITAE

### De valetudine percontatio

#### Morbi - Medicamenta.<sup>1</sup>

*Morbus in organis digerendi* me vexat:

Parulis (Parulides, Stomatites).<sup>2</sup>

Angina (Cynanche, Tonsillae).<sup>3</sup>

Nausea (Nauseola, nauscula).<sup>4</sup> - Nausea infestor (Nauseo, Cibum abhorreo, Cibos fastidio, respuo). - Nausea plane abiit.

Haematemesis. - Cholomesia.<sup>5</sup>

Atrophia. - Cachexia.<sup>6</sup>

Stomachicus sum. - Malo sum stomacho (Stomachus se male habet; stomacho non bono utor).

Stomachi virtus iacuit (languet). - Anorexia (Stomachi languore, malacia) dissolvor. - Cadiogmus<sup>7</sup> me cruciat.

Stomachi cruditas.<sup>8</sup> - Dyspepsia.<sup>9</sup> - Stomacho sum crudus.

Lienteria.<sup>10</sup>

Tympanites ventrem meum supra modum distendit (inflat). - Borborigmus in alvo meo crepitat (murmurat).

Alvi durities (adstrictio). - Styptica ratio ventri occurrit.

Colica. - Coeliacus morbus.<sup>11</sup> - Intestini ulceratio. - Typhlites.<sup>12</sup>

<sup>1</sup> Cfr. fasc. super. mensis, ubi morbis tabificis, ante febriculam, ponendum est *ileotyphon*.

<sup>2</sup> Abscessus gengivarum.

<sup>3</sup> Morbus faucium angens guttur.

<sup>4</sup> Stomachi fastidium, ad vomitum concitatio.

<sup>5</sup> Alter est sanguinis vomitus ex stomacho; alter bilis.

<sup>6</sup> Atrophia est nullum ex alimentis beneficium sentire; *cachexia* malus habitus corporis alimenta corrumptens.

<sup>7</sup> Stomachi languor cum dolore.

<sup>8</sup> Ventriculi vitium aegre concoquentis.

<sup>9</sup> Difficilis et aegra concoctio.

<sup>10</sup> Fluxus ventris talia deficiens qualia recipit. - Italice, vulgo: *Catarro intestinale acuto*.

<sup>11</sup> *Coelia* est illa corporis cavitas, in qua cibus devoratur et prima concotio peragitur; unde *procœlius*, cui venter protuberat; *coeliacus*, cui venter ulceratur, aut dolet.

<sup>12</sup> Intestini coeci inflammatio.

#### Elminthiasis.<sup>1</sup>

Peritonites me ad extrema adduxit.<sup>2</sup> Cruciatu colico vexor. - Dolore colico crucior. - Intestinorum doloribus torqueor.

*Morbus ex iecore* (hepaticus); *lienicus* (splenicus, ex splene) me fodicat:

Ictericia (Morbus regius, Morbus arquatus, Fellis suffusio, Suffusa bilis, Aurigo).<sup>3</sup>

Colica hepatica.

Melancholia (Atra bilis). - Melancholicus omnino sum factus.

#### Renibus labore:

*Morbus nephriticus* (Nephrites) in me serpit.

Colicam iliacam gravissimam sum passus.<sup>4</sup> - Ferendo colicae huius dolori non sum (impar sum). - Vires meae hisce doloribus franguntur (ad dolorem sunt infirme, vim doloris non sustinent). - Tantum doloris ex colica hac sustineo, quantum vix possit. - Roboris in me tantum non est, ut acerbitatem tam gravem perpeti queam. - Vocem mihi dolor intercludit. - Dolor permanet. - Dolore hoc gravissimo conficio (exagitor ut nihilo unquam, discrucior, perimor, interimor, obruor).

Calculi me infestum habent.

I. F.

<sup>1</sup> *Elminthes* dicuntur tinea, ventris animata ex genere lumbricorum in intestinis genita.

<sup>2</sup> Est inflammatio peritonaei; h. e. membranae ilii tenuissimae alvum et intestina a transverso septo continet.

<sup>3</sup> *Aurigo* (*igynis*) a colore auri.

<sup>4</sup> Si levior, *strophus* dicitur; *chronica* si statis temporibus corpus aggreditur.

## PRO IUNIORIBUS

### Landulphus Rupholus.<sup>1</sup>

Quae Rhegium inter et Caietam ora porrigitur, amoenissimus fere Italiae tra-

<sup>1</sup> Ex italicis fabulis lo. BOCCACCII (*Decam.*, II, 4).

ctus vulgo censem. Ibi haud procul Salerno litus est (Picentium incolae vocant), quod ad mare spectat, oppidulis, hortis, fontibus celebre, pecuniosisque hominibus et in mercatura, ut plerique, industrias frequentissimum. Inter quae oppida Regulum est, ubi, ut nostris temporibus opulentissimi degunt homines, ita olim opulentissimus vir, Landulphus Rupholus vixit. Hic porro suis divitiis minime contentus, easque augere cupiens, prope fuit ut una cum suis omnibus se ipse perderet. Is igitur, ut mercatoribus mos est, omnibus suis rationibus computatis, ingenti navi aere empta suo, variisque mercibus onerata, Cyprum navigavit. At quum merces eiusdem generis ac suas compluribus navibus eo importatas invenisset, non modo vili pretio suas vendere, sed si extrudere voluit, iacturam facere coactus est; itaque pene decoxit.

Quod aegre ferens, et quid consilii caperet nescius, quod ex maximis divitiis ad magnam devenisset egestatem, vel moriendum, vel per latrocinia sua damna reficienda statuit, ne unde dives abierat, eo ferme mendicus esset reversurus. Ingenti vero venditae navis merciumque pretio parvum navigium piraticum mercatus, et omnibus, quae ad id opus essent, instruто communitoque, in aliena bona invadere et naves turcas praesertim coepit expilare. Ei vero piratae magis quam mercatori fortuna suffragata est: tot enim Turcarum naves intra annum incursavit ac cepit, ut divitias, quas mercator amiserat, non modo recuperarit, sed longe adauxerit. Quare prioris iacturae dolore edocitus, quum satis multa sibi esse sentiret, ne in alterum infortunium incideret, pecunia ad quam venerat, admodum contentus, domum repetendam censuit. Mercaturaе vero diffidens, nullo pacto pecuniam occupandam ratus, navigium, quo illam paraverat, redditurus solvit.

Iamque in Aegeum ingressus erat, quum

Notus sub vesperam exortus est, qui non modo sibi naviganti adversaretur, sed procellosum faceret mare; cuius vim quum vix ac ne vix quidem ferre potuisse fragile navigium, in maris sinum, quem parva insula efficeret, a vento tutum se recepit; ventum magis ad navigandum idoneum expectaturus. In quem sinum paullo post duae ligusticae naves Byzantio venientes, ut idem quod Landulphus periculum vitarent, haud sine magno labore sunt ingressae. Iis in navibus qui essent, quum navigium vidissent omnemque fugam interclusam, et cuius esset edicti, virum enim ditissimum iam fama accepserant, quippe qui ad pecuniam rapinasque natura fermentur, navigio potiundo operam dedere. Et nonnullos ex suis optime sagittis armisque instructos quum in terram exposuerint, ibi collocarunt, ut nullus eorum qui in navigio essent, evadere posset. Qui vero in navibus erant, scapharum marisque ope ad Landulphi navigium accesserunt, quo nullo labore ac brevi temporis spatio cum omnibus vectoribus impune potiti sunt. E navigio vero, quod omnibus spoliatum demerserunt, Landulphum in unam ex suis navibus traductum, ad unicam tuniculam redactum retinuerunt.

Postero die, mutatis ventis, navem occassum versus ad vesperam plenissimis velis navigarunt; quum ecce tibi vehementissimus ventus, qui, decumanos ciens fluctus, naves disiunxit, adeo ut, eousque increbrente, navis, qua miser Landulphus vehebatur, magno impetu ad Cephaloniam insulam in brevia illisa, instar vitri in parietem impacti, comminuta diffingretur. Quare infelices qui in illa essent, quum passim merces, capsae, tabulaeque fluctuantes cernerentur, ut in hisce rerum adiunctis fit, intempesta licet nocte et mari procellosissimo, nandi gnaris natantibus, quidquid obiiceretur, pro se quisque manus arripere. Inter quos Landulphus, etsi pridie mori saepius exoptaverat, quippe

qui fato concedere, quam in extrema, qua erat, rerum inopia domum redire mallet, mortem horruit instantem; et, ut ceteri, tabulae casu obiectae adhaesit, si quam praesens Deus, morti sibi ab undis immimenti erepto, salutis viam preeberet. Qua quidem tabula, ventis et fluctibus huc illuc iactatus, quam optime poterat innixus, ad novam lucem duravit.

Tum vero omnibus circumspectis, nil nisi nubila et aquas cernere, et capsam, quae ad se maxime trepidum, ne quid damni ea percussus acciperet, fluctibus ferretur; ipse vero propius adnatantem, ut in tanto virium languore, manu prohibere. At subitus vehemensque turbo in mare erumpens ita commovit fluctus, tanquam impetu capsulam, haec vero tabulam, in qua Landulphus insisteret, verbaveravit, ut sursum deque ea versa, Landulphus demergeretur; dein, metu magis quam viribus adiuvantibus, emersus, ab se procul natantem tabulam conspectaret. Hinc veritus ut tabulam apprehenderet, ad capsam proxime adnatavit, totoque pectore incumbens pro viribus, rectam brachiis sustinebat. Atque ita ieuno ventre, - nihil enim cibi suppeditabat, - ac prater animi sententiam potans, loci imprudens, nil nisi mare cernens, perpetuo illo die nocteque insequenti, huc et illuc fluctibus iactabatur.

Tunc, sive Superum sive id ventorum vi accidit, Landulphus, ceu spongia aqua imbutus, oris capsae mordicus adhaerens uti naufragi, si quid manibus morte impendente apprehenderunt, ad litus Corcyrae insulae delatus est, ubi paupercula mulier arena salsaque unda vasa culinaria, quo nitidiora fierent, ablueens detergebat. Appropinquantis autem quum nullam formam dignosceret, pree metu exclamans retrocessit: hic porro, lingua et fere oculis captus, ne verbum quidem protulit. Sed mari ad litus eum impellente, femina capsae formam dignovit; aciemque oculo-

rum acrius intendens, primum brachia capsulae protenta, mox faciem dignoscens, quod re ipsa erat, id esse sensit. Eiectum igitur hominem miserata, mari iam pacato paullulum progressa, crinibus apprehensum in litus traxit; ibique capsam ex eius manibus aegre extricatam capiti filiolae, quae secum erat, imposuit: Landulphum vero, tamquam puerulum, in pagum deduxit, locatumque in sudatorio adeo perfriuit, calefactaque ita abluit aqua, ut vitalem calorem et nonnihil amissarum virium restitueret. Quumque illi bonum aestimavit, eductum et generoso vino cupediisque refectum, et dies aliquot, quo satius potuit, tractatum usque adeo habuit, donec hospiti sui locum cognosceret.

Tum mulierculae servatam ei capsulam visum est restituere atque discedendi copiam facere. Is, tametsi mente capsula exciderat, a muliercula oblatam accepit ratus quantulocumque pretio esset, nonnullos dies victum sibi suppeditaturam, quae, quum levis admodum esset, degustata specula fere evanuit. Nihilominus, quum femina domo abisset, eam refixit visurus quid illa caperet; in eaque lapillos auro argentove inclusos exclusosque, quorum non rudis aestimator erat, videns, et pretiosissimos cognoscens, gratiis Deo actis qui praesens fuisset, magnum inde solatum tulit. Sed adversam fortunam brevi temporis spatio bis expertus, tertiamque veritus, valde sibi prospiciendum censuit, ut salva omnia domum exportaret. Non nullis itaque obsoletis pannis involutis, feminae dixit, se nullius iam capsulae indigere; si porro liberet, saccum traderet, illamque pro eo sibi haberet. Denique mulierculae morigerae quam maximis gratiis actis pro accepto beneficio, collo sacco imposito, ab ea digressus est. Quumque navim concendisset, Brundusium appulit, et deinceps prope litus Tranium usque est praetervectus. Ubi quum quosdam e popularibus suis, qui sericarum

telarum mercatores erant, nactus esset; eisque casus suos, silentio de capsula facto, enarrasset, illi quasi mendiculum suis vestibus texerunt. Ad haec, equo commodata comitibusque ei adjunctis, Revellum, quo tendebat, dimisere.

Ibi quum sibi tutus videretur, saccum exsolvit, et curiosus ibi omnia exquirens, sibi tot tantosque esse lapillos animadvertisit, ut, aequo licet etiam minori pretio venditis, duplo ditionem se revertisse sentiret. Lapillos igitur quum vendidisset, haud parvam pecuniam Corcyram ad feminam misit, quae mari extraxerat, idemque Traniam ad illos, qui se nudum vestibus operuerant; reliquum vero, mercatura valere iussa, retinuit, honesteque ad suum diem aetatem traduxit.

X.

## ANNALES

### Parisiense de pace concilium.

Die II mens. Iunii traditum tandem Austriacorum legatis fuit pacis foedus in Parisiensi concilio constitutum; non vero integrum, quum clausulae militares, pecuniariae deque finibus cum novis civitatibus, quae in Austriaco imperio sunt recognitae, collatae nondum fuerint. Per hoc foedus Austriacorum status longe lateque imminuit, reliquumque territorium inter Hungaros, Ceko-Slovachos, Serbos, Croatos Slovenosque dividitur; qui populi sui iuris singuli facti sunt et haberi debent. Praeterea ad Societatis Nationum pacta et ad «laboris chartam» accedendum ei est, renendumque omnibus iuribus suis, quae extra Europam hucusque fuerint; maritima simul atque aëria classis dimittenda, consociatisque reliquae Europae gentibus imperium tribuendum Austriacos cives iudicandi, qui leges moresque belli violaverint. Denique stipulationes iubentur,

ab Germanicis haud dissimiles, de oeconomis negotiis, deque transitus libertate.

Quas quidem conditiones simul ac Austriacus populus rescivit, altas querelas movit ac protestationes; obiectusque contra est alter pactionum ordo, qui certo certius eundem exitum habebit quam qui a Germanis vicissim fuerat delatus: rerum scilicet substantiam iri firmiter servatum, atque peremptorium deinde eundemque brevissimum terminum praescriptum subscribendi, an terram suam videndi latius ab hoste invasam.

\* \*

### Pax cum Germanis inita.

Ita factum est ut - recedente administratorum in Germania collegio, cui Scheidemannus preeerat indignumque reputabat quod arctis tot vinculis populus manciparetur; a summo Germanorum navarcha classi sua contumaciter demersa, et a violenta militum manu igni traditis vexillis in bello an. MDCCCLXX captis Gallicisque hodie restituendis - novum gubernium, praeside Bauer, sese tristi iugo subiiceret, ratamque propositam pacem haberet; quod Versaliensibus in aedibus quandam regiis effectum est die XXVIII Iunii mensis nuper elapsi.

Nihil igitur iam denique restat, quam ut cum summo Christianorum parente, Benedicto PP. XV,<sup>1</sup> «quoniam hostilia tandem finem cepere, suppliciter divinam clementiam in haec invocemus vota, ut maritima iam nunc solvatur obsidio unde famem summamque rerum omnium egestatem tam ingens multitudo patitur; ut quotquot captivi adhuc sunt, quamprimum dimittantur; ut homines populique inter se hucusque infensi, vinculo consocientur denuo christiana caritatis; quae si desit, omnis de pace conventio frustra erit».

<sup>1</sup> Allocut. in S. Consistorio habita hodierna die III mensis Iulii MCMXIX.

Hisce quidem sensibus fore ut demum componantur fidimus quae perdurant adhuc in Parisiensi conventu dissensiones de pensionibus Italicae genti concedendis, quaeque causa fuerunt quod novi administri et in Italia sufficerentur, a quibus populus exspectat, ut tandem aliquando iuxta desideria de omnibus civibus suis materno gremio restituendis compleantur.

\*\*

### Hungarorum Russorumque res.

Rumenorum in Hungariam decursus, qui iam in eo esse videbatur, ut Budapestino ii potirentur, est ex voluntate Parisiensis concilii retentus. Tum vero Hungari arma in finitimas gentes converterunt; brevi tamen, quum et ipsi constiterent iussi fuerint. Inde Bela ille Kum occasionem nactus est, ut sese promptum paratumque exhiberet ad legatos Lutetiam Parisiorum mittendos, qui fines Hungaricae reipublicae ediscerent; scilicet per calliditatem suam contendit, ut et suum gubernium aequae illuc coleretur. Num recta is institerit via, eventus docebunt

Russicae res in obscuris semper manent. In superiore numero diximus, Petropolim a Finlandensibus Aestoniisque propius oppugnari; huic vero nuntio silentium supervenit, neque de illius, neque de aliarum urbium deditione factum ulterius verbum est. Atque de Kolciak, supremo nunc civilis contra «bolscevikos» exercitus imperatore, victoriae simul et clades feruntur....


\*\*

### Aërium facinus optime peractum.

Inter tot tanta que misera, iuvat scientiae victoriam laeto animo recolere; transgressum dicimus Atlantici oceani in aëroplano optime peractum ab Aloock et Brown militum Anglorum tribunis, qui ex Americae per aërium iter Hiberniam appulere.

Sit huiusmodi facinus universo orbi faustum omen, brevi fore ut pacifica intergentes commercia, doctrina simul et humilitate ducentibus, feliciter instaurentur.

POPULICOLA.



### VACUI TEMPORIS HORA

**Terrae motus**, en, Italiae nostrae iucundas feracesque plagas iterum vastatum venit. Triste fatum Hetruriae collibus circa Mugellum die xxix nuper elapsi mensis contigit, multaque oppida frequenti nutatione ac subsultatione soli corruere, multisque locis labes et extrema ruina hominibus ex improviso est facta. Ex improviso, eheu! Namque post tot tantosque disciplinarum progressus ne praevidere quidem eiusmodi conquassatio licet adhuc. Quin etiam ne in tuto ponere quisquam valuit maximi huius exitii caussas; ita ut nisi Plinii doctrinae (*Hist. nat.*, I. II, c. 79-80) Senecae satis libere nostris ipsis diebus assentire possimus. Numne eius verba meministis? «Maxima ergo - sic ille in *Nat. quaest.*, I. VI, 18 - causa est, propter quam terra moveatur, spiritus natura citus, et locum e loco mutans. Hic quum diu impellitur et in vacanti spatio latet, iacet innoxius, nec circumiectis molestus est. Ubi illum extrinsecus superveniens causa sollicitat, compellitque, et in arctum agit, scilicet adhuc cedit tantum et vagatur. Ubi erepta discedendi facultas est, et undique obsistitur, tunc

magno cum murmure montis

Circum claustra fremit,

quae diu pulsata convellit ac iactat; eo acrior, quo cum valentiore mora cunctatus est. Deinde quum circa perlustravit omne quo tenebatur, nec potuit evadere, inde quo maxime impactus est, resilit, et aut

per occulta dividitur, ipso terrae motu raritate facta, aut per novum vulnus emicuit. Ita eius vis tanta non potest cohiberi, nec ventum tenet ulla compages: solvit enim quodcumque vinculum, et omne onus fert secum, infususque per minima, laxamentum superat, indomita naturae potentia liberat, utique concitatius sibi ius vindicat. Spiritus vero invicta res erit; nihil enim erit quod

*Luctantes ventos, tempestatesque sonoras  
Imperio fremat, ac vincis et carcere fraenet.*

Quaenam vero illa «causa extrinsecus superveniens?». Nemo, inquam, adhuc afferre tuto valuit. Ad rem hic etiam Hamleti principis est monitum: «I, Horati, nimia sunt in orbe universo, quae homini non datum est percipere».

\*\*

Acquiescamus itaque in rebus nostris, atque maiora minime appetentes **terrae motus descriptionem** parum cognitam, a Dione (in *Traiano*) versam, magno cum animi terrore legamus: quae enim ille scripsit, ea sunt apud nos hodie renovata. «Primum - ait - de improviso mugire solum vehementer, post fremitus maris audiri horribilis. Terra sublime tolli, aedificia sursum erigi; erecta partim ruere et conquassari, partim, velut in summa tempestate, hoc atque illuc commota nutare; loca pura mirifice agitari; materies aedificiorum frangi, lateres et lapides collidi, horum omnium fragor incredibilis audiri. Tantus excitari pulvis, ut non videre, non alloqui quemquam per eum liceret. Extra domos passim vagabantur, quod inde agitatis tectis tabulatisque et in se corruentibus parietibus vel tamquam praecipites darentur, vel ruinis aut mutilarentur, aut sepelirentur. Etiam arbores radicibus vellebantur. Qui lapidibus aut lignis laesi iacebant, nec vivere poterant, nec mori, quod cupiebant. Qui evaserant, eorum pars magna visebatur insigniter attrita; alii fractis cruribus, alii humeris, nonnulli cervicibus, multi sanguinem reiiciebant. Nulla fuit gravis calamitas, quam illi homines non experirentur. Ubi cessavit terra motus, fuit qui ruinas descendens vocem vivae mulieris acciperet, habentis infantem, quem una secum lacte suo sustentabat. Mons autem ita concussus est, ut eius culmina subsidere et convulsa in ipsam civitatem cadere viderentur. Subsedere praeterea alii montes, et aquae, ubi antea visae fuerant, unquam extiterunt; contra, nonnullae ubi fluxerant, destituerunt...».

\*\*

Sed paulo maiora canamus. Proximis diebus **centenaria dies** rediit, ex quo a vita migravit Leonardus ille Vinci, qui, summo et multiplice ingenio donatus, celeberrimus artifex evasit, et scientiae omnis summus magister. Constat inter omnes Mediolani udo colore in coenobio S. Mariae picturam per integrum parietem illevisse, qua supremam Christi coenam repraesentavit, mirabilem adhuc, quamquam hominum incuria et humore presumdatam. Circa eam memoriae proditum est, Leonardum inquietum fuisse, quod typum, prout dicunt, reperire non posset, unde dulcissimam Servatoris imaginem redderet. Quodam vero dominico die quum sacris in templo adstaret, inter ephebos canentes conspexisse adolescentem, in omnium virtutum exempla genitum sibi visum; modestia, candore, suavitate ita praestantem, ut formam quam animo conceptam is haberet, prorsus assequeretur. Eo igitur, cui Petrus Bandinellus nomen, Leonardus usus est ad Christi effigiem in praeclarissimo opere suo exprimendam. Decem praeterea fluxerunt anni priusquam id perficeretur, neque amplius restabat, quam ut Iudee vultum artifex duceret ita vivum, qui Iesu gravis itemque benignissimi probe obiceretur. Tum, insatia-

bili sibi pulchri forma iterum sollicito, occurrit in via mendicus quidam homo livore insignis, ardentibus at rigidibus oculis, incompto capillo, signis omnibus patefaciens, sese omnis generis vitiis obruisse, omnibusque flagitiis inquinasse. - Ecce mihi Iudas, quem diu appetivi - inquit Leonardus satis tandem sibi factus; arreptoque stylo, ductu aliquo lineamenta miserrimi illius memoriae suae consignavit; deinde tanta ignobilitate quasi stomachatus eum interrogavit qui vocaretur. - Petrus Bandinellus! - torpide alter respondit.... Ecquis dicat quaenam tum in animo Vincius agitaverit?

\*\*

**Iocosa.**

Magister omnia pertentavit, quo gerundivas formas Tuccium doceret. Ad ultimum exclamat:

— Ne igitur tu unquam intelligas, satis esse ut nomina in « andus, endus » desinentia componas?... Eia, da tandem huiusmodi specimen!...

Atque noster magnifice sese inferens:  
— Ferdinandus!

Tuccius ad spectaculum quoddam dramaticum a patre ductus est, eique percontanti resne ipsi placeret:

— O utinam - ingemiscit - et in schola actitetur!

— In schola?... Ecquid theatrum inter et scholam?

— Papae! Nonne optatissimum discipulis fuerit, si vir a latibulo, huius simili, quod hic video, responsiones suggesserit?

\*\*

**Aenigmata.**

I.

Horrenda cum *e*,  
Frigesco cum *i*,  
Nigresco cum *o*,  
Frondesco cum *u*.

## II

Si dulce *extremo*, caelesti munere, *primum*  
[est:  
Suaviter humanis auribus *omne* sonat.  
(Aenigmata in superiore fasciculo propo-  
sita his respondent: 1] *Fa-bella*; 2] *Fucus*).  
IOSFOR.

**EPISTOLARUM COMMERCIO**

Cl. v. FRANCISCO TU..., Panormi. — *Dialogorum* Ludovici Vives collectanea edidit Romae an. 1891 Victorius Turri, doctor Urbanus litteris tradendis; neque scimus an recentiores editiones factae fuerint.

Rev. v. ARTHURO CAY..., Borja. — Quod iam a mense Ianuario carmen misisti, in proximo numero edemus. Scripta alia, praesertim soluta oratione, ab istis discipulis tuis exspectamus.

Rev. p. FRANCISCO PISC..., Neapoli. — Numne promissa tua ad irritum ceciderunt?

Prof. GEORGIO WAL..., Neo-Eboraci. — *Almae Romae* collectio, quam componere integrum posse speramus, a mense Maio MCMXIV ad expletum usque currentem annum MCMXIX veniet libell. 65 (doll. 13).

Cl. v. ALOISIO CER..., Venetiis. — De humani-  
missimis litteris gratias amplissimas tibi habemus, et referimus. Euge! bona tempora redi-  
bunt.

A SECRETIS.

**MONITUM**

Ut paginarum numerum exaequaturi  
simus a regiis decretis etiam nunc per  
annum commentariis proportionaliter con-  
stitutum, quumque unicum Februarii men-  
sis fasciculum reductis paginis hoc anno  
ediderimus, fasciculos Augusti et Septem-  
bris in unum uniemus; qui primis Septem-  
bris mensis diebus prodibit.

A. R.

**ROMA SACRA**

Benedicti PP. XV epistola ad Germaniae  
episcopos de S. Bonifacio, Germaniae  
apostolo, ac de eius perfecta constanti-  
que cum Apostolica Sede coniunctione.

Duodecimo exeunte saeculo ab inchoata gloriosi Bonifacii martyris apud Germaniae populos apostolica legatione, SS. D. N. Benedictus PP. XV ad archiepiscopum Coloniensem ceterosque Germaniae antistites encyclicas litteras d. XIV superioris mens. Maii misit, paternae suea sollicitudinis novum idque luculentissimum testimonium. Quae ex tanta aerumnarum atque angustiarum mole originem ducentes, unde ultra modum acerbissimis hisce temporibus premimur, quaeque adhuc suspensos tenet animos exspectatione futuri, e regionibus iisdem Germaniae lucis veluti radium quemdam affulgentem sibi videri B. P. affirmat, spei bonae laetitiaeque nuncium; iucundam scilicet recordationem « primum partae duodecim abhinc saeculis Germaniae populis christinae salutis, misso ad eosdem Bonifacio, Romani Pontificis auctoritate, Evangelii praecone, ac Sedis Apostolicae Legato ...., unde Germaniae salus ac prosperitas omnis exordium duxit ». Qua quidem recordatione « simul ait — antiquam illam germanici populi cum Apostolica Sede coniunctionem partim iucundissime commemoramus, partim vehementissime desideramus ». Neque enim « praeteritarum tantum rerum laetam recordationem ac faustum celebrationem scimus vos (Germanos antistites) spectare, sed praesentium velut quamdam perfectionem, atque etiam affuturae unitatis ac pacis religiosae optatissimam instaurationem. Nam haec bona sunt vel maxima, ab una christiana fide et charitate profecta, quae Christus Deus ac Dominus Noster e caelo delata, Ecclesiae suae ac suo in terris Vicario, Romano Pontifici, retinenda, propaganda ac vindicanda commisit. Hinc illa necessaria cum Apostolica Sede coniunctio, cuius Bonifacius perfectissimus praeco exstitit atque exemplar; hinc item potior quaedam et mutua amoris officiorumque consensio Romanam Se- dem inter ac vestram (Germanorum) gentem,

ab eodem Bonifacio tum primum Christo et Christi in terris Vicario mirifice devinctam ».

Quam quidem unitatem et consensionem Pontifex singillatim considerat atque explanat historicam Christi illius martyris vitam et opera recolendo, quae candida narratione tradiderunt scriptores aetatis illius antiquissimi, in primisque Bonifacii fere aequalis Willibaldus episcopus.

Deinde pergit: « Plura proferri possunt... perutili sane recordatione commoranda. At satis multa iam protulimus, et nimis fortasse multa, dum res agitur in promptu et sane planior, quam ut prolixa oratione multisque argumentis indigeat. Quod si haec fusius, quam necessitas postulabat, commemoravimus, id propterea placuit, ut vobiscum memoria vetera repetentes nonnihil solatii ad praesentia aequiore animo perforenda perciperemus, in spem erecti affuturae quam primum huius redintegrationis unitatis, coniunctionisque Ecclesiae in multitudine pacis atque in vinculis charitatis.

« In iis enim immorari iucundum, eoque iucundius, quod Bonifacii... exempla virtutesque singulares, in primisque illam amicitiae coniunctionisque necessitudinem, quam his litteris celebrandam suscepimus, in vestris conspicimus atque admiramur vitae rationibus repraesentatam Nobis et quodammodo expressam. Vivit enimvero apud vos et gloriissime vivit vester Germaniae Apostolus; vivit, ut ipse se appellabat, *Legatus Germanicus catholicae Romanae Ecclesiae*, eamdem suam illam Romanam legationem veluti sustinens adhuc precibus, exemplis, rerumque gestarum memoria, quibus profecto *defunctus adhuc loquitur*. At vero ita loquens, populos quondam suos ad unitatem potissimum Ecclesiae Romanae invitare atque adhortari ille videtur, fidus interpres ac praeco Magistri et Servatoris nostri Iesu, qui hoc potissimum precatur et commendat suis, *ut unum sint*.

« Invitat ille quidem coniuctiores Ecclesiae alumnos ut arctius amantiusque adhaescant; invitat ceteros, ab unitate abscessos, ut ad eiusdem sinum ecclesiae Matris pie se fidenterque recipient, veteribus depositis odiis, similitibus, praeiudicatis opinionibus; omnes denique christifideles sive recens adscitos, sive

iam pridem cooptatos, ut in eiusdem consensione fidei et coniunctione voluntatum perseverent; ex qua tandem divina floreat Charitas atque ipsa etiam civilis hominum societatis concordia.

« Quis autem non hanc Patris invitationem adhortationemque exaudiat? Quis paternam doctrinam, exempla, vocem denique ipsam despiciat? Nam, ut scriptoris item antiqui, popularis vestri, candidissima verba usurpimus in primis opportuna, quum Romanae Bonifacii legationis apud vos centenaria memoria recolitur, "si iuxta Apostolum patres carnis nostrae habuimus eruditores et reverebamur, nonne multo magis obtemperabimus patri spirituum? Pater namque spiritualis non solum Deus Omnipotens dicitur, sed etiam omnes, quorum doctrina et exempla ad agnitionem veritatis instruimur, ad stabilitatem religionis incitamus. Sicut et Abraham ob fidei obedientiaeque suae meritum, cunctis imitandum, pater omnium dictus est in Christo credentium, haud aliter sanctus praesul Bonifacius omnium Germaniae incolarum pater dici potest pro eo, quod illos verbo praedicationis, primitus Christo genuit, exemplis confirmavit, postremo animam quoque suam pro ipsis posuit, qua charitate nemo maiorem valet exhibere „.<sup>1</sup>

« Illud tamen adiungimus..., miram hanc Bonifacii charitatem non unius Germaniae finibus circumscriptam, populos omnino omnes, inter se inimicissimos licet, esse complexam; quemadmodum et potiore quidem amore, iuxta ordinem virtutis, complexus est Germaniae apostolus finitimatam Francorum gentem, cuius aequre reformator exstitit prudentissimus; ac "de stirpe et prosapia Anglorum procreatos", populares suos, quibus praecipue "eiusdem generis vernaculaus, universalis Ecclesiae legatus et servus Sedis Apostolicae", fidei catholicae, eisdem a S. Gregorii Magni Pontificis legatis Romanis illatae, propagationem, apud Saxonum quoque populos ex eodem ortos genere obtinendam, ac denique "unitatem et communionem dilectionis", custodiendam amantissime commendavit.<sup>2</sup>

<sup>1</sup> Vita S. Bonifacii auctore OTHLONO monacho, lib. I, cap. ult.

<sup>2</sup> BOÑF., Epist. XXXIX (al. XXXVII).

« Quoniam vere charitas - ut eiusdem verba scriptoris, quem supra laudavimus, iterum Nostra faciamus - est "bonorum omnium origo ac finis",<sup>1</sup> Nos etiam in hac terminum ponamus... Id igitur votis omnibus comprehendatur, ut in hac perturbata hominum societate, Omnipotentis Dei Ecclesiaeque sua instauratis iuribus, legibus, cultu ac memoria denique ipsa revocata, charitas christiana revirescat, quae cum belli odiique furentibus tum dissidiis, schismatis atque erroribus serpentibus undique finem imponens, populos inter se foedere devinciat arctiore, quam fluxis hominum pactis, unitate fidei potissimum et veteris coniunctionis consuetudine, seu necessitudine potius, cum hac Apostolica Sede, quam Christus Dominus noster veluti quadam familiae in terris suea fundamentum constitutam voluit, et virtutibus, sapientia, labribus tot Sanctorum atque ipso denique Martyrum, ut Bonifacii, sanguine consecratam.

« Hac autem consensione fidei et voluntatum coniunctione ubique terrarum instaurata, illud Nos etiam usurpare iure quodam Nostro videbimus, de plebe christiana universa, quod Romani conscientia primatus, iam inde a primo saeculo christiano peculiariter conscribebat Clemens Papa Corinthiis: "Gaudium et laetitiam nobis praestabit, si oboedientes facti iis quae scripsimus per Spiritum Sanctum resecetis illegitimum zeli studium secundum exhortationem, quam de pace ac concordia fecimus in hac epistola „.<sup>2</sup>

« Atque utinam hoc nobis omnibus Bonifacius Apostolus ac Martyr impetraret, ac populis praesertim, potiori iure, sive origine, sive electione suis: illud utique idem e beatorum sedibus perficiens, quod ipso fatente efficere nunquam cessavit in terris: "Quatoscunque audientes vel discipulos in ista legatione mihi Deus donaverit, ad oboedientiam Apostolicae Sedis invitare et inclinare non cesso ... „.<sup>3</sup>

C. DEL VEC

<sup>1</sup> OTHLON, ibid. In mundo alioquin non es tu.

<sup>2</sup> S. CLEM. ROM., Ep. I ad. Corinthios, LXXXI.

<sup>3</sup> Ep. L (al. XLIX).

ROMAE - TYPIS POLYGLOTTIS VATICANIS.